



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1711

§. II. Nostræ confirmationes, quòd in materiâ fidei inter Catholicos
Doctores incertâ non teneamur ad probabiliorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

contra cū optimum in iubendo sit lex præcipiens, ut sequamur certo probabile, erit optima in iubendo, quia præcipit, ut faciamus bona, non autem præcipit, ut faciamus optima. Addo etiam duplicem rationem Illust. Tapia, quem P. Card. tom. 3. d. 56. cap. 17. art. 1. vocat feverissima doctrinæ Thomistam, cumque sepe alibi laudavi cum M. Baro: ille igitur lib. 1. qu. 8. art. 10. hæc duplici utitur ratione. Prima est: quia nemo tenetur ex præcepto sequi melius, & tutius, maxime in rebus moralibus, in quibus vix potest haberi certitudo; sed satis ut sequamur bonum, & tutum: ergo nemo tenetur ex præcepto sequi probabilius. Secunda: quia esset onus intolerabile in omni materia querere opinionem probabiliorem, & tutiorem, cū summè difficile plerumque sit iudicare de probabilitate: ergo possumus sequi minus probabilem minus tutam.

§. II.

Nostra confirmationes, quod in materia fidei inter Catholicos Doctores incerta non tenemur ad probabiliorem.

S U M M A R I U M.

S. Thom. ait, excusari, qui opinionem sui Magistri sequitur, si ea opinio non est manifeste contra Scripturam, aut Ecclesiam, n. 119.
Subdit P. Thyrsus, ex hoc sequi, quod in omni alio excusantur, ib.
Omne, quod non est certo illicitum, ex S. Thom. est licitum, ib.
Ex hoc S. Thom. textu infero, excusari discipulum sequentem opinionem sui Magistri, creditam a se minus probabilem, ib.
Si S. Thom. novisset legem sequendi tutiorem probabiliorem, debebat eam ibi tradere, immo aliter loqui, n. 120.
Adrianus, & S. Thom. allegati à P. D. Thyrso, sunt contra Probabilioristas, ib.
Qualiter Adrianus, & S. Antoninus textum D. Thom. Quod agitur contra legem semper est malum, interpretantur, n. 121.
Lex, quæ non est certa, non obligat juxta Adrian. S. Anton. S. Thom. ib.
Optima P. D. Thyrsi doctrina, ib.
Retorquetur, ib.
Sicut si jus naturale sit occultum, non tenemur ex P. D. Thyrso ad tutius, ita nec ad probabilem, ib.
Nemo contra fidem peccat, nisi repugnet certæ fidei regule, n. 123.
Scavi ait, quod si non repugnet Ecclesie, aut Scriptura, totum quod est excellentius tribuendum Desipare, ib.
Tom. II.

Ex hoc inferi sine labe conceptam, ib.

Laudatur à M. Baro, ib.

In materia fidei inter Catholicos incerta, nec ad tutiorem, nec ad probabiliorem tenemur, n. 124.

Mysteria fidei quando sint satis proposita? ib.

Hoc ipso quod Innocentius damnat fidem stare cum probabilitate, eo ipso inferitur, quod in materia fidei non tenemur ad probabiliorem: D. D. invenes, quod in materia fidei incerta satis sit sequi probabilem, ib.

Sixtus V. utramque opinionem de adventu, & non adventu Christi D. Ad. non peccante, ait pietati, fidei, & rationi consonam, ib.

Si in materia fidei tenemur ad tutius, tenemur ad chimeram, ib.

Ex dicto Sixti V. infringitur præcipua ratio de periculo errandi, & peccandi materialiter contra fidem, n. 125.

S. Antoninus ait, licere alterutram sequi sine periculo peccati, quoties D. D. contraria sentiunt, ib.

Sixtus IV. approbat tamquam honestum modum rogandi Desiparam, quia nititur opinioni probabili, n. 126.

Nullus Papa tulit legem, etsi obviam, sequendi tutius, aut probabilius, n. 127.

Sixtus V. ait, honeste operari, qui in materia fidei incerta sequitur aliquam probabilem, n. 128.

Alia Theologia foret inutilis, ib.

Si licet certo probabilis in materia fidei, etiam in materia morum, n. 129.

Cum iudicio de probabilitate fiat directum minus probabile de veritate, n. 130.

Confirmo 3. ex Adriano, quem trahit N. P. D. Thyrsi. disp. 9. n. 23. quærens enim 119. Adrianus an excusetur à peccato, qui ex Adrian. consilio prudentum format conscientiam; & P. Thyrs. retinet alienum, non obstante, quod sciat alios peritos tenere oppositum, ita resolvit questionem: Ut, qui, non obstante aliorum Authorem contradictione, surgit ad formandam conscientiam de honestate partis, quam sectatur, & dubius non manet, excusetur à peccato, quatenus sectetur minus tutam, modo non peccet ratione temeritatis, quæ absque sufficienti motivo adhaereat parti minus tutæ, vel ratione rei, quam operatur, quatenus eam ponit, vel ex crassa facti ignorantia, vel ex vincibili Divini Juris. Hæc Adrianus. Idem P. D. Thyrsus num. 24. citat D. Thom. quodlib. 3. art. 10. quærentem, An S. Thom. Discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur a peccato erroris? Respondet quod qui assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scriptura testimonium, sive

K ij contra

contra id, quod publicè tenetur, secundum Ecclesie auctoritatem, non potest ab erroris (intellege vincibilis) vitio excusari. Subdit Pat. P. Thyr. Thyrus n. 24. Hæc ultima S. Thomæ clausula satis arguit ipsum tenere, quod discipuli in alijs omnibus excusentur à peccato erroris, nisi in rebus, quæ sunt contra communem Ecclesie auctoritatem, vel manifestum locum sacre Scripturæ. Hæc P. D. Thyrus. Ecce 1. quod discipuli in omni re excusentur à peccato erroris vincibilis, nisi quæ est contra communem Ecclesie auctoritatem, aut manifestum Scripturæ locum: sed sententia docens licere utrum minus tutam minus probabilis, nec est contra communem Doctorum Ecclesie auctoritatem, immò est juxta hanc; nec contra clarum Scripturæ locum: ergo discipulus eam sequens excusatur ab errore vincibili seu peccato. Ecce 2. quod omnis doctrina, quæ non opponitur manifestè, vel Scripturæ, vel Ecclesie auctoritati, excusatur à peccato juxta S. Thom. atque adeo certum videtur, quod omne, quod non est certò illicitum, seu contra manifestum Scripturæ, Ecclesie, aut legis textum, est certò, juxta S. Thom. licitum. Trahan igitur Contrarij claros legis, Ecclesie, vel Scripturæ textus, quibus nostra doctrina vetatur, & opponitur; nullum autem trahent: ergo nostra sententia adserens licitum sequi minus tutam minus probabilem, juxta S. Thomam excusatur à peccato. Ecce 3. Adrianus, & S. Thom. non obligant ad sequendam semper tutiorem; immò ne quidem obligant ad sequendam probabilioram; nam Adrianus ait, quod, non obstante aliorum auctoritate, potest quis formare conscientiam de honestate partis, quam sectatur, etsi sit minus tuta, modò non peccet ex temeritate, vel ignorantia crassa: ergo, juxta Adrianum, potest quis formare conscientiam de honestate partis minus tute, & eam sequi ductus ratione certò probabilis; nam motivum certò probabile, licet contra se habeat motivum certò probabilius, non est temerarium. Et S. Thom. ait, Discipulos sequentes doctrinam sui Magistri excusari à peccato, dummodo ea non sit contra clarum Scripturæ textum, aut communem Ecclesie auctoritatem: sed nulla opinio minus tuta minus probabilis habet aliquid eorum contra se; si enim habet, nec tuta, nec probabilis erit: ergo discipulus poterit eam sequi. Addo non omnem discipulum putare semper sui Magistri doctrinam notoriè probabilioram oppositã; immò, ut docet experientia, plures discipuli sæpe putant sui Magistri doctrinam esse minus probabilem oppo-

Adrian.
S. Tho.

sita: ergo si ex S. Thom. licet cuique discipulo sequi doctrinam sui Magistri, dummodo non sit clarè contra Scripturam, aut contra communem Ecclesie auctoritatem; & idem S. Thom. nullatenus dicat, dummodo discipulus putet illam probabilioram, præcipue cum S. D. certum erat non omnem doctrinam Magistri videri omni discipulo probabilioram; hinc evidenter ex S. Thom. infertur non esse peccatum sequi minus tutam minus probabilem.

Urgeo: Si S. Thom. novisset legem te. N. quendi minus tutam licite tunc tantum, 120. quando est notoriè probabilius, non contentus esse debuisset eo, quod dixit, licere cuique discipulo sequi sine peccato doctrinam sui Magistri; & tunc tantum non licere, quando est contra manifestum Scripturæ textum, vel quod publicè tenet Ecclesia, sed addidisset, tunc non licere, quando opposita apparet probabilior: sed hoc non dixit: ergo cum S. Thom. unicè dicat non licere sequi doctrinam sui Magistri, quando est clarè contra Scripturam, aut Ecclesiam, eo ipso supponit tunc licere cuique discipulo sequi doctrinam sui Magistri, quando ei apparet certò probabilis, licet opposita videretur ei certò probabilior. Ecce igitur textus Adriani, & S. Thom. allegatus à P. D. Thyro pro non obligatione sequendi semper tutiorem, esse ad hominem contra Probabilioritas adstruentes obligationem non sequendi minus tutam, nisi sit probabilior.

Confirmo 4. ex S. Thom. & S. Antonino, N. quos citat P. D. Thyrus diff. 9. an. 25. pro 121. non obligatione sequendi semper tutiorem; P. Thyr. ea enim omnia probant etiam non dari obligationem omittendi minus tutam minus probabilis. Trahit igitur P. Thyrus S. Antonin. & Adrianum explicantes dictum S. Thom. *Illud, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est juxta conscientiam*, intelligendum de eo, quod agitur contra legem certam, & indubitamam (ecce iterum, si lex non est certa, & indubitata, quod fit contra eam, non est peccatum) quia vel est expressè in Scripturâ, vel in eâ asserendè conveniunt DD. Catholici, nec habent opiniones probabiles circa ejus existentiam: (ecce rursum opinio probabilis de non existentia legis tollit peccatum; quo quid clarius, quid antiquius, quid sanctius ad rem nostram? & tamen Probabilioritas negant nostræ sententiæ, tum Antiquos, tum SS. Doctores.) Post hæc subdit P. D. Thyrus n. 26. non esse mirum quòd S. Anton. & Adrian. ita explicarent doctrinam D. Thomæ, quia sine eâ moderatione est valdè difficilis. Si enim agere contra

contra jus naturale secundum conclusiones remotas est peccatum, sequitur omnes homines teneri scire totum jus naturale, non tantum quoad prima principia, & quoad conclusiones proximas principijs, qualia sunt decem Decalogi præcepta, sed etiam quoad conclusiones remotas, de quibus est controversia inter DD. Catholicos. Dicere autem, quod omnis homo ad hoc teneatur, est res valde ardua; quomodo enim homines illiterati tenebuntur scire, quod tot DD. sapientissimi post diligens studium scire non poterunt? Ergo videtur, quod in ijs rebus, quas Deus voluit manere sub controversia, an sint contra jus naturale, satis sit ad securitatem conscientiarum, quod quis sectetur id, quod post sufficientem diligentiam apparet clarè verisimilius, quamvis contingat esse re ipsa falsum; & quod Deus veritatem in ijs, quas voluit manere sub opinionibus, non teneatur manifestare omnibus, qui diligenter inquirunt ad operandum, sicut non teneatur manifestare omnibus, qui diligenter inquirunt ad docendum alios. Hæc sapienter, & discretè P. D. Thyrsus; sed nil aptius pro nobis. Primò, quia si verum est ex S. Anton. & Adrian. explicantibus textum S. Thom. quod tunc tantum est peccatum agere contra legem, quando lex est certa, & indubitata; sequitur evidenter cadere omnia, quæ Probabilioristæ contra nos trahunt, sive doceant, quod lex certò non constans adhuc obliget, sive doceant eum, qui agit contra legem, quam probabilius existere putare potest, peccare, quod utrumque nos negamus. Secundò, si tunc tantum est peccatum agere contra legem, quando est certa, & indubitata, dent nobis certam, & indubitatam legem obligantem omittere minus tutam, nisi sit notoriè probabilior; hæc autem lex ad summum probabiliter, aut probabilius suaderi poterit; & adhuc dato probabilius esse, quod ea detur, agens ego contra illam non peccabo, quia ex S. Anton. & Adrian. non peccatur contra legem, nisi lex sit certa, & indubitata. Tertio, si non est illicitum, nec peccatum sequi minus tutam evidenter probabiliorum, ob rationem à P. D. Thyrsò allegatam; ita hæc eadem ratio probat non esse peccatum sequi minus tutam minus probabilem, si sit certò probabilis; nam si viri doctissimi discernere nesciunt inter probabilia opposita, quodnam sit evidenter probabilius, quomodo poterunt idiotæ? Quarto, sicut ex occultatione juris naturalis quoad conclusiones remotas infert P. D. Thyrsus nos non teneri ad tutius, sed satis ad minus tutum notoriè probabilius; ita ego

Tom. II.

ex occultatione legis vetantis sequi minus tutam minus probabilem; immò ex occultatione evidentis probabilioritatis, quatenus homo totam probabilioritatem questionum probabilium scire teneretur, infero nos non teneri ad probabilius, sed satis esse certò probabile.

Confirmo 5. ut peccetur in materia fidei N. contra fidem, necesse est, ut certè infallibili alicui regulæ fidei quis repugnet; si autem nulli repugnat, & præterea illud ipsum assertum sit conformè rationi, eò ipso non est contra fidem. Et ideo Scotus in 3. dist. 3. qu. 1. loquens de Deiparâ sine labe conceptâ, præmissâ triplici distinctione concludit: *Quod autem horum trium, quæ ostensa sunt possibilia, factum sit, Deus novit: si auctoritati Ecclesie, aut Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod est excellentius Mariæ attribueri.* Hæc verba ut legit M. Baro 4. p. Manud. lib. 1. sect. 2. pag. mihi 83. merito dixit: *Dum verba hæc legis, jurares modestiam ista dictæ: ergo ut peccetur in materia morum, necesse est, ut talis materia certò repugnet regulis morum: si autem non repugnet, immo fit certò probabile oppositum, eò ipso non peccabitur.* Igitur afferatur regula certa morum contra nostram doctrinam. Si enim Scotus, teste M. Baro, omnium primus, piam de Deiparâ sine labe conceptâ opinionem induxit, & quidem, ut M. Baro asserit, non nisi conjecturis, etsi Scripturæ textus apparerent oppositi; & simili modo, teste M. Baro, induxit opinionem de adventu Christi D. Adâ non peccante: & quidem utraque opinio, præsertim de non labe Deiparæ, facta est communissima, quia Scripturæ textus, licet primâ facie oppositi videantur, non tamen opponuntur: quanto magis in materia morum ea opinio erit probabilis, quæ non conjecturis, sed rationi solide nititur? & non tantum nulla adducitur morum regula obligans ad tutius, vel probabilius, opposita nostræ sententiæ neganti utramque obligationem; sed nulla omnino adducitur: ergo sicut, ubi Ecclesia, aut Scripturæ clarè non opponitur alicui asserto in materia fidei, assertum illud non damnatur, ut contra fidem; & si ulterius idem assertum probatur conjecturis, affirmatur à Scoto probabile; ita multò magis quoties non adest certa lex obligans ad non sequendum aliquod objectum, sed præterea idem objectum probatur rationibus solidis, non tantum dicendum erit probabile, sed etiam, quia nulla certa regula illud vetat, erit tutum: sed sententia asserens licitum sequi minus tutam minus probabilem, nullam contra se certam legem

K. ij habet,

Scotus.

M. Baro.

N.

122.

P. Thyrs.

S. Anton.

Adrian.

S. Thom.

N.

127.

P. Thyrs.

S. Thom.

S. Anton.

Adrian.

habet, immò pro se plura habet; ergo erit tuta.

N.
124.

Confirmo 6. In materia fidei inter DD. Catholicos controversâ non teneor ad tutius, aut probabilius, dummodo oppositum extremum sit tutum, & inter eosdem DD. certò probabile: ergo nec in materiâ morum. Antecedens probatur, & pro ejus intelligentiâ suppono 1. contra fidem Catholicâ, aut ea, quæ nostra fides tradit ut certa, nullam dari opinionem probabilem, sed tantum errorem vincibilem, aut invincibilem, prout error ille vinci potest, aut non potest, quia contra certum nihil datur probabile, ut sæpe docui. Suppono 2. ex dicendis toties tantum dari obligationem credendi ea, quæ nostra fides proponit ut certa, quando sunt sufficienter proposita, tunc autem fides, & mysteria sunt latis proposita, quando est evidenter credibilis, ut ferè omnes docent, & nos d. 9. & in Tr. de Fide. Suppono 3. tantum abesse, ut Infidelis teneatur credere probabiliozem, quin immò hoc est damnatum, mediâ salutem ab Innoc. XI. eo enim ipso quod fides non stat cum prudenti formidine oppositi, seu non revelationis, eò ipso nemo potest obligari ut credat, quando revelatio proponitur tantum ut probabilior, nam eo ipso est etiam probabilis non revelatio: ergo tantum abest, ut in materiâ fidei teneamur ad probabiliozem, quin non tenemur, loquendo de fide Divina strictè sumptâ, ut dicam infra in argumentorum solutione. Vide interim P. de la Fuente *disp. 5. n. 21*. Modò venio ad argumentum, quod egregiè illustrat P. de la Fuente *l. c. cap. 5. §. 6.* & citat M. Gonet. de Probab. n. 241. P. Fabrum in Apolog. *dial. 5. pag. 106. & dial. 10. pag. 218.* & præcipuè P. Teril. *part. 1. de Reg. mor. qu. 26. n. 5. 6. 22.* & C. de Lug. *d. 10. de Fide n. 13.* qui omnes docent circa ipsam materiâ fidei in rebus ab Ecclesiâ nondum definitis posse quemlibet sequi quamlibet ex contradictorijs, dummodo probabilem. Hoc autem probatur 1. celebri controversiâ de adventu Christi D. probantibus Thomistis ex Scripturâ, & Patribus Christum D. non venturû, Adâ non peccante; & ex opposito asserentibus ex PP. & Scripturâ, Scotistis (cum quibus nos idem sensimus in tr. de Incarn.) Christum D. Adâ non peccante, adhuc venturum fuisse, ut caput humanæ Reipublicæ, & ob excellentiam mysterij. Ecce opiniones contradictorias in materiâ fidei. Ecce licitam utriusque opinionis electionem, ut Sixtus V. alibi à nobis citatus expressè docet; loquens enim de utraq; opinione ait, utramque pietati, fidei, authoritatibus, &

Innoc.
XI.

P. de la
Fuente.
M. Gonet.
P. Faber

P. Teril.
C. de
Lugo.

Sixt. V.

rationibus consonam. Citat autem P. de la Fuente DD. qui eam Bullam late exhibent; ergo est evidens licere in materiâ fidei sequi opinionem (quoties res non est certa) qualemcumque, dummodo probabilem. Porro sicut in hoc casu periculum errandi contra Scripturam, & fidem non obligat ad tutiorem; immò, ut acutè P. de la Fuente n. 47. si tutior semita necessariò eligenda esset, & vitandum omne erroris periculum, ut Neoterici aliqui contendunt, sequeretur, quòd nec Scotistis affirmare, nec Thomistis liceret negare, Adâ non peccante, Verbum incarnandum; immò utrique tenerentur suum suspendere judicium, cum tutius in hoc casu sit nihil judicare. Si enim cum Scotistis affirmas venturum, exponis te periculo errandi contra omnes textus Scripturæ, & PP. quos Thomistæ pro se adducunt. Si autem negas cum Thomistis venturum, Adâ non peccante, ex vi præsentis decreti, exponis te periculo errandi contra Scripturam, & PP. quos Scotistæ pro se adducunt. Si igitur, ut certum est, tam Thomistæ, quam Scotistæ non tantum sine peccato, sed juxta decisionem Sixti V. honestè, piè, & laudabiliter, propriæ opinioni adherent, nec ob periculum probabile erroris tenentur circa hanc fidei materiâ omne suum judicium suspendere, eò ipso evidenter constat in materiâ fidei (quoties res non est certa) nullam dari obligationem sequendi tutiorem, aut probabiliozem: non tutiorem, ut dixi, quia tutius est suspendere omne judicium, quam affirmare, aut negare Christum D. venturum: immò inter affirmare, & negare, nec affirmare est tutius quàm negare, nec negare est tutius quàm affirmare, cum apertam includat implicantiâ dicere, quòd ex Scripturâ inferatur utrumque contradictorium esse adinvicem tutius: ergo in materiâ fidei, quoties non est certa, non teneor ad tutiorem. Similiter propter eandem rationem non teneor ad probabiliozem, quia evidenter implicat dicere, quòd ex Scripturâ inferatur utramque contradictoriam esse adinvicem probabiliozem; immò cum ipse Pontifex non præsumperit decidere, quænam sit probabilior, sed utramque vocat pietati, fidei authoritatibus, & rationibus consonam, nec tunc quo jure aliquis nostrum judicet hanc, præ illâ, evidenter sibi probabiliozem; imò cum Pontifex ad neutram obliget, eò ipso nemo tenetur ad sibi probabiliozem, sed quamlibet licitè docere potest. Sanè paritas Fidei est invictum in Adversarios argumentum. Ut enim nemo tenetur fide Divinâ rem aliquam credere, nisi præceptum credendi

P. de la
Fuente

N.
M.
N.
124.

S.
m.

N.
1.
P.
F.

illam sit moraliter certum, ipsaque res credenda sit moraliter certa, adeo ut non satis sit probabilioritas præcepti, & rei credendæ ad fidem Divinam: ita nil à nobis sub obligatione operandum, nisi præceptum operis sit moraliter certum, ipsumque opus sit certo moraliter honestum; & nil ex præcepto omittendum, nisi præceptum omittendi sit moraliter certum, & opus omittendum sit certo moraliter inhonestum. De quo legi potest Neuffer d. 21. q. 17. pag. 112. & M. Torrec. q. 5. de Fide §. 14.

Neull.
M. Ferr.
N.
125
S. Anton.
10.
N.
126.
P. de la
Fuentes.
S. IV.
126.
P. de la
Fuentes.
S. IV.
126.
P. de la
Fuentes.
S. IV.

Ecce apertè debellatum præcipuum Contrariorum argumentum, qui ob erroris periculum nos obligant ad tutiorem, vel probabiliorum. Constat enim evidenter ex dictis tale periculum prudenter sperni tum à Thomistis negantibus venturum, tum à Scotistis affirmantibus venturum. Sicut ergo, quoties Scripturæ sensus non est certus, non teneor hunc præ illo sequi, etsi sit periculum errandi contra illam, dummodo pro sensu, quem assero, adsit fundamentum certo probabile; ita quoties lex non est certa, dummodo habeat fundamentum probabile pro honestate actionis oppositæ ei legi incertæ, non teneor ob peccati materialis periculum sequi actionem, & opinionem stantem pro lege. Quare S. Antonin. alibi citatus part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. dixit: *Constat communiter apud T. quod in materia fidei, auctorem DD. sentium contraria, licitum esse ante determinationem Ecclesie tenere unam partem, vel alteram, sine periculo peccati, vel fidei.* Ecce nihil dicit de obligatione tutioris, aut probabilioris in materia fidei incertâ, immò asserit licitum sine peccati periculo tenere alterutram.

Nec omittendum est ex P. de la Fuente l. c. à n. 50. quod cum in Regno Aragoniæ P. de la anno 1482. acris controversia mota esset, ex eo quia, juxta Thomisticam opinionem, pro summo in nos benignitatis motivo ponatur ante mentem Deiparæ vericulus ille, *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam foret tanto digna Filia*, & tota lis Sixto IV. delata fuisset, idem Pontifex anno sequenti 1483. die 11. Septemb. definivit, temerè, ac præsumptuosè notari alicujus peccati eam deprecationem, eò quia probabiliori opinioni nititur. Audiatur Sixtus: *Cumque priori opinioni (nempe Thomisticæ) versus illi imitantur, dicimus, quidquid contra dictos versus attentatum fuit, temerarium, præsumptuosum, & panâ dignum presumpsum fuisse, tamquam contra opinionem à DD. Catholicis positam.* Hæc Sixtus. Acute autem advertit idem P. de la Fuente 1. controversiam hanc ad materiam fidei, & morum spectasse: fidei, quia

dubitabatur, num doctrina eo vericulo contenta, esset, aut non esset consentanea fidei; morum, tum quia dubitabatur, num esset licita ejus opinionis electio, omisâ tutiore, vel probabilior; vel potius illicita ob periculum opinandi contra Scripturam; tum quia dubitabatur, an cultus ille orandi Deiparam esset honestus, quatenus allegatur pro motivo aliquid, quod fortè est falsum. Advertit 2. quod Papa, suppositis dubijs immediatè præmissis, declaravit, tam dictam sententiam, quam ejus contradictoriam licitè eligibilem, nec necessarium putavit ex præcepto fidei, aut alterius virtutis suspendere judicium directum, vel reflexè tantum judicare utramque contradictoriam opinionem esse probabilem; etsi longè tutius foret utrumque, & immunius à periculo contradicendi Scripturæ; sed Papa supposuit, quod satis sit utramque esse probabilem, ut error sequens sit purè materialis. Advertit 3. quod sicut Papa non dixit, quæ ex illis esset tutior, ita nec examinavit, quæ esset speculativè probabilior, & Scripturæ conformior; nec ductus tutioritatis, aut probabilioritatis fundamento dixit laudabilem esse illum morem precandi Deiparam, & ejus moris impugnatore esse præsumptuosos, & temerarios; sed præcisè dixit morem illum esse laudabilem, quia mos ille precandi Deiparam nitebatur opinioni DD. Catholicorum probabili. Immo, siquid de mente Sixti conjectari liceret, cum idem Sixtus IV. esset ex Ordine Scotistarum, quibus mos est sentire cum Scoto, sentire potius visus est, quod opinio Thomistica de adventu Christi D. sit minus probabilis, tantum abest, quod fuerit ei probabilior: ergo constans est ex Papæ decisione, quod in materia fidei, & morum inter Catholicos incertâ liceat sequi omnem certo probabilem, nec opus sit sequi tutiorem, aut probabiliorum, vel non assentiri minus tutè minus probabili. Mirabile sanè mihi est, quod nullus Papa, nullus Ecclesie Doctor præceptum adeo obvium tradiderit, quod quilibet sequatur sibi probabiliorum, & nemo sequatur minus tutam, minus sibi probabilem; sed omnis Papa, & omnis Ecclesie Doctor contentus sit, ut quoties est incerta materia fidei, & morum inter Catholicos DD. sequatur quis certo probabilem, cum tamen facile fuisset, in suis decisionibus, ipsis Pontificibus dicere, Sequatur quilibet sibi probabiliorum; & tamen hodie Probabilistæ tamquam laxones culpantur, quia illud præceptum omittendi minus tutam minus probabilem, obligantes tantum ad tutam certo probabilem, sive magis,

magis, five minus respectu opinantis, & operantis, negent. Plura alia æquali studio, mente, ingenio, & curiositate discenda dabit idem P. de la Fuente.

N. Idipsum roboratur doctrinâ fati inter

127. TT. communi, unis affirmantibus, alijs negantibus esse de fide, quod Christus D. habuerit præceptum moriendi; quod dentur habitus infusi supernaturales præter tres Theologicos; quæ, & alia sexcenta sunt inter TT. incerta, nec quis tenetur in his dubijs de fide ad probabiliorem, aut tutiorem, ob datam rationem; five enim affirmes, five neges, exponis te periculo peccandi materialiter contra fidem; atque adeo in his dubijs fati est, ut quis sequatur opinionem aliquam inter TT. certo probabilem. Vide P. Card. tom. 4. *dis. 14. cap. 5.*

P. Card. N.

128. Dices: Qui se exponit periculo morali incidendi in opinionem Theologicè temerariam, peccat contra fidem, ut accidit de alijs periculis peccandi contra alias virtutes: sed qui omisâ tutiore, sequitur in materiâ fidei probabilem, huic se periculo exponit; si enim ea opinio sit falsa, erit difformis Scripturæ: ergo peccat contra fidem mediatè, vel immediatè. Sed contra ait P. de la Fuente

P. de la Fuente;

n. 57. fateor eum, qui temerè se exponit periculo contradicendi rebus ab Ecclesiâ, & Scripturâ certò determinatis, ut faciunt indocti disputantes cum Hæreticis, & horum libros legentes; vel docti, cum nimis liberè opinantur sequendo doctrinas hæresi, aut errori proximas, aut temerarias; hos, inquam, exponere se periculo morali incidendi in errores, & deserendi fidem. Qui verò in materiâ fidei aliquam ex certo probabilibus opinionibus sequuntur, tantum abest, ut peccent contra fidem, quin, ut dixit Sixtus V.

Sixtus V.

honestè operantur: immò si quis diligenter percurrat oppositas (ubi sensus Scripturæ non est manifestus) expositiones SS. Patrû, & Theologorum circa Divinam Scripturam, videbit magnum hinc Catholicæ fidei accessisse incrementum. Tota enim Theologia, etsi Doctorum invicem contradicentium, fundatur, saltem remotè, in Scripturâ; quinam autem decor accesserit ex Theologia fidei nostræ, luce clarius est: ergo etsi necesse sit ut alteruter è contradicentibus TT. erret, & alterutra opinio dissentiat Scripturæ, & sit falsa, adhuc tamen, quia utraque est certò probabilis, utraque licitè docetur: ergo tantum abest, ut in materiâ fidei inter Catholicos controversâ teneamur ad tutiorem, aut probabiliorem, quin est contra praxim Ecclesiæ, & Theologorum, imò contra bonum commune scientiarum, &

veritatem. Si enim ob periculum erroris non possemus assentiri veritati, fere semper, etiâ in tutiori, deberemus suspendere omne iudicium, etsi probabilis, ob idem periculum erroris; & ipsi Adversarij ob periculum errandi, neque nos impugnare, neque se defendere, neque suam opinionem tradere deberent. Legatur attentè P. de la Fuente *dis. 5. cap. 5. & 6.* qui multis æquivalet, ob ingenium, & prudentiam ad res Theologico-Morales dirimendas apprime mirabilem.

Confirmo 7. Licet in materiâ fidei incertâ sequi quamlibet certò probabilem: ergo etiam in materiâ morum; quia non minus spectat ad conscientiam materia fidei, seu credere, aut non credere, vel credere oppositum, quam agere, vel non agere, vel agere oppositum, quæ est materia morum. Sicut ergo nullus accusat Theologos peccati contra fidem, dummodo sequatur certò probabilem in materiâ fidei incertâ, etsi assentiendo, aut dissentiendo exponat se periculo errandi materialiter contra fidem; nec tenetur suspendere omne iudicium circa materiam fidei incertam, etsi ea suspensio tutior sit; alias Theologia esset prorsus illicita, vel saltem periculosa, quia permittit ut Theologice licitè assentiantur, vel dissentiantur huic, aut illi opinioni circa materiam fidei incertam; immò tale peccatum erroris materialis contra fidem incertam, dummodo sit ex certo probabili fundamento, parvipenditur: ita hoc idem accidit in materiâ morum incertâ; si enim periculum peccati materialis contra legem incertam cavendum esset, teneremur semper suspendere omne iudicium, etsi longè probabilis, quia ad hoc ipsum sequi potest materialis violatio legis; hoc autem nemo dicit: ergo sicut nulla imprudentiæ nota refundi potest in TT. qui in materiâ incertâ fidei opinantur contraria, quia quilibet prudenter assentitur ex fundamento certò probabili; & error ille materialis, seu peccatum, quod fortè contra fidem sequitur, quia unitur prudenti assensu, ex inductione omnium Theologorum, neminem reddit imprudentem; ita certum quoque est non esse imprudentem, qui contra legem incertam sequitur quamlibet opinionem, dummodo certò probabilem; nec peccatum materiale, quod fortè sequitur contra legem incertam, quia unitur, & est ex iudicio certo prudenti, reddit hominem imprudentem. Plura P. Teril. *qu. 11. de Reg. mor. & qu. 21. de Consc. prob.*

Dices: Nequeo assentiri in materiâ fidei, nisi assentiar ut absolute veræ: sed repugnat, ut cum iudicio de maiori probabilitate assentiar

sentiar minus probabili, ut absolute vera: ergo in materia fidei assentiri non possum minus probabili: ergo nec in materia morum. Sed contra 1. quia minor est falsa ex paritate illius, qui juramento adstrictus defendit aliquam opinionem D. Thom. aut D. Anselmi, quam interius iudicat minus probabilem. Contra 2. quia falsa est maior; quia satis est ut absolute assentiat opinionem ut prudenter vera, licet opposita esset prudentior. Contra 3. quia confunditur similitudo probabilitatis cum probabilitate similitudinis, quae repugnat; assentiens enim ex motivo minus probabili non habet illud iudicium, nempe quod probabilius sit oppositum. Alter P. Teril. de Reg. mor. qu. 2. n. 36.

Contrariorum replica, nempe, quod ut lex sit satis promulgata, satis sit, ut probabiliter constet, infra adducuntur; interim nego, quia si existentia legis est tantum probabilis, immo probabilior, potest probabiliter negari: ergo quoties lex est probabilior, aut probabilis, non obligat.

SECTIO V.

Quartum argumentum.

§. I.

Ex eo quod datur invincibilis ignorantia.

SUMMARIUM.

Quoties utraque pars est probabilis, sciri non potest, quae pars sit vera, n. 131.

Nec probabilitas, nec probabilitas vincit ignorantiam veritatis, ib.

Retorquendo in P. Eliz. eius argumenta, quod non inventio veritatis sit veritatis inventio, &c. ibid.

Est incredibile tot DD. Probabilistas vincibilitate errasse, n. 133.

Hoc argumento ferè omnes utuntur, ut videre est apud P. Teril. *quest. 23. P. Card. tom. 1. d. 15. cap. 9. & tom. 3. d. 56. cap. 16. art. 3. P. Moya tom. 1. qu. 6. n. 22. & tom. 2. tr. 1. qu. 5. §. 4. n. 29.* Invincibilis ignorantia veritatis, ut late dixi d. 5. excusat à peccato: sed quoties utraque contradictoria est tuta, & probabilis, licet inaequaliter, datur invincibilis ignorantia veritatis: ergo in tali casu, quaecumque quis sequatur, excusabitur à peccato. Minor probatur primò auctoritate ferè omnium Doctorum, quorum verba fideliter recitat P. Moya l. c. adeo ut P. Terillus l. c. dixerit, adeo certum esse, quod datur invincibilis ignorantia veritatis, quoties utraque opinio est probabilis, ut non sit opus, nec Modernos, nec

Antiquos citare, cum hoc unanimiter ab Antiquis tradatur: ergo ex ferè omnium T. T. consensu, quoties utraque contradictoria est probabilis, datur invincibilis ignorantia veritatis. Nè autem hoc audacter dictum videatur, contentus ero allegare aliquos ex Doctoribus à me alibi citatis. S. Bonav. *relati* ^{S. Bonav.} *triplici opinione, an Papa dispensare possit in voto, in 4. dist. 38. art. 2. qu. 3. ait: Quae istarum opinionum sit verior, fateor me nescire, & satis potest qualibet sustineri.* S. Antonin. *2. p. tit. 5. cap. 16. §. 2. ait: Ubi reperiuntur diversae opiniones, & adversae, nec habetur expressa declaratio, periculosum est ita uni opinioni adhaerere, quod alteram condemnet.* S. Thom. *ait, periculose defini aliquid esse mortale, ubi non apparet Scriptura manifesta.* S. Aug. *fateatur se nescire quae sit verior opinio, an affirmans licitum esse die Coenae post cibum communicare, an negans; immò pluribi affirmat sepe se nescire ex opinionibus non valde remotis à praeceptis Decalogi quae sit vera. Vide quae dixi hic sect. 1.* Ergo certum ex SS. PP. quoties utraque contradictoria est probabilis, & classica, datur invincibilis ignorantia veritatis. Secundò: Ignorantia, quae vinci non potest, est invincibilis: sed quoties utraque opinio est certò probabilis, ignorantia veritatis vinci non potest; tum quia sciri non potest, quae ex illis sit vera; tum quia probabile non vincitur per probabile, immò nec probabilius, nam probabilitas connecti potest cum veritate, & falsitate, cum plura falsa sint probabiliora veris: ergo quoties utraque opinio est certò probabilis, datur invincibilis ignorantia veritatis: ergo ignorantia veri derivata ex opinionibus probabilibus excusat, quaecumque quis sequatur, à peccato. Tertiò: quia ignorantia, quae post sedulam pro veritatis inventionem adhibitam diligentiam, à veritate vinci non potest, est invincibilis: sed quoties utraque opinio est probabilis, ignorantia veritatis non potest vinci à veritate, immò et si una sit probabilior altera, adhuc veritas manet occulta: ergo talis ignorantia est invincibilis: ergo sequens opinionem probabilem peccare non potest. Quartò: Si probabilitas vinceret ignorantiam veritatis, utraque contradictoria esset vera, quia quaelibet est probabilior, una uni, altera alteri Doctori; sed hoc dici non potest: ergo probabilitas non vincit ignorantiam veritatis.

Confirmo 1. retorquendo contra P. Eliz. ^{N. 132.} *eius principia. Primum est lib. 4. qu. 6. §. 4. pag. mibi 219. ubi ait, non inventionem veritatis post sufficientem diligentiam esse inventionem veri-*

S. Bonav.

S. Antonin.

S. Thom.

S. Aug.

N. 132. P. Eliz.